sociat. ut neque ipse a discipulis. neque ab eo discipuli in compas-
sionis causa divisi viderentur. nisi quia sollicitudo providentię
oculo attendit. quod plerumque dum alter donat. alter irascitur. Et quale
est iam misericordię sacrificium. quod cum miseria proximo offertur. Unde recte
(Paul.) ait. Ut non circumveniamur a satana. Non enim ignoramus cogi-
tationes eius. quia videlicet unde in alterius corde rixę malum
solum solet inmittere. unde alterum conspicit pietatis negoci-
um fecisse. Inperfectum enim bonum est quod sic agitur. ut ne quid ei ex alio
latere mali subripiat non attendatur. nisi forte hoc quod sine cul-
pa scandalo fieri non potest. culpa sit non fecisse. Hoc autem ideo
dicimus. ut notum vestrę dilectioni faciamus. quia in nostro bono
opere aliquando cavendum est scandalum proximi. aliquando
(Exemplum de evangelio.) vero pro nichilo contempnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus.
qui dum tributum petro inquisito peteretur. prius paradigma
(Evg.) proposuit. per quod se nichil debere respondit dicens. Reges terrę
a quibus accipiunt tributum vel censum. A filiis suis. an ab alie-
nis. Cumque ille diceret. ab alienis. ilico respondit. Ergo liberi
sunt filii. Sed postquam se liberum esse monstravit. ne forte
cuiquam scandalum faceret. subdidit. Ut autem non scandalizemus
eos. vade ad mare. et mitte hamum. et eum piscem qui prius as-
cenderit tolle. Et aperto ore eius. invenies staterem. illum sumens
(Evg.) da eis pro me et te. Qui rursum cum diceret. quia omne quod in
os intrat. non coinquinat hominem. et tunc accedentes discipuli
dixerunt. Scis quia pharisei audito verbo scandalizati sunt.
At ille respondens. ait. Omnis plantatio quam non plantavit pater
meus cęlestis. eradicabitur. Sinite illos. cęci sunt duces cęcorum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0088